

spectabant per sententiam Principum redierunt. Cum igitur dicta ecclesia in *Kauffungen* regalis esse noscatur, & ab hoc propensiori nostro sicut dignum præsidio volumus & præsentium auctoritate decernimus, ut advocatia prædii supra dicti vel ad descendentes, vel ad collaterales nefandi *Friderici* hæredes nullo tempore unquam perveniat, sed *Abbatissa* ecclesiæ præfatæ constet perpetua firmitate nisi forsan mera liberalitate de novo alicui eadem *Abbatissa* eam duxerit conferendam. Quum autem memoria hominis labilis sit & res conscribere non sufficiens, ut concessionis nostræ indiligentia non sit posteris ambigua futura præsentem paginam conscribi fecimus quam sigilli nostri præsidio communiri iussimus. Datum *Herpiboli*.

Nos vero RUDOLPHUS Rex prædictus altissimo Regi per quem sumus ad regendum imperium Romanum evocati gratuitum servitium exhibere volentes & honestarum ac religiosarum sororum de *Kauffungen* orationum participes effici cupientes ipsas literas ratificamus innovamus & præsentis scripti patrocinio confirmamus. Datum *Erphordiæ* 6. Id. Mart. Indict. 3. Anno Domini 1290, regni nostri anno 17.

III.